DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XXVI. IANVARII.

M. PAVLO MATTOT, Doctore Medico, Præside.

An in curandâ Syphilide Balneum Ptyelismo præmittendum?

IMPVRI concubitus nequissima proles Syphilis; hanc astrorum influxui, inquinatæ aëris inspirationi, aut improbi alimenti vitiis acceptam referre credentis est, non scientis: nec simplicis etiam nudæque qualitatis fœtura; à tetro vapore venenatâque materiâ sobolescit. Illius fomes impurus furtim obrepens, contagione serpens, mentitâ mansuetudine per plures annos sæpe tacitus venis alitur, donec quas acquisivit eundo vires inexpectatis exerat symptomatis; interdum tantæ subtilitatis est veneni pernicies, ut reis partibus illæsis illico nutritium viscus occupet, quod inficere non desinit, donec vigentis naturæ conatu execrandi mali labes in totum corporis habitum expellatur. Hinc Sycoses in capite, ulcera phagedænica & χειρώνεια, mulieribus condylomata in pudendis, viris in ano; hinc lividæ rubentesque pustulæ circa frontem & tempora derepentè prosiliunt, quæ antè deleri extinguive nequeunt, quàm morbus penitus eradicetur. Harum cum rubore livor, rotunditas, durities, siccitas, interdum ichores ipsi, argumenta virulentiæ, quæ semper ægrescit medendo, nisi medicamentis alterantibus humoris infringatur contumacia. Hanc tamen è solâ cute ne spectes, ulli corporis partium nescit parcere, quot membra tot supplicia, periostium ab osse divellit, tophos parit, & ossium substantiam segni suo fermento paulatim attollendo, gignit exostoses. Hinc jugibus vigiliis corpus conficitur, & plerique malè olente ozænâ, naribus exesis potum per nares regerunt. Mirum sanè tantam morborum iliadem à tenui pendere suscitabulo.

QVI novum Syphilidem dixêre morbum, veterum sunt ignari. Ex quo nefandæ Veneri litatur, nefandæ veneris feruntur monimenta. Indis nondum detectis scorta lasciviêre, suæque nondum nato Carolo octavo scortis merces, vermes & tineæ. Quæ ergo Patria? Gallia? Bætica? Italia? fabula. Nulli gentium sit injuriæ Syphilis, apud omnes nascitur, alitur. Misceantur in utero bene se habentium semina, ibi computrescant, ab eorum corruptelâ Syphilis, aut Syphilidis prodromi; sic integrè sanus scortator à non inquinato scorto potest inquinari, nec ab unius impuritate semel orta in universum orbem irrepsit. Interdum delicta majorum immerita luit progenies, & patrum in natos abit cum semine; à nutricibus in alumnos, ab alumnis in nutrices facilis commeatus. Infelix quem turpis dumtaxat dehonestat Alopecia, & mœchum prodit sola calvities: infelicior quem fœdæ pustulæ & sordidum ulcus: infelicissimus, cujus vita concessa dolori somnum nescit. Desultorios Rheumatismi dolores cave Syphilidis putes: illi velut ignari ubi detur sistere semper sine lege furentes suos ubique figunt aculeos: hi partibus solidis mordicus hærentes, quas semel invasêre numquam deserunt; illos sedabis, si causa morbi fugerit è venis: hos verò non nisi è toto corpore. Syphilidem qui parit humor, Hydrargyri ope ad os confluet, sputo purgabitur; quæ defluens ore stillatio Ptyelismus dicitur.

IN curandâ Syphilide qui sola sudorifica in usum vocat, curationem aggreditur, non assequitur, in Hypocaustis assos recoquit, exuccum facit hepar, & ex morbo contumaci contumaciorem. Qui Sarsæparillæ, Turbith, Ligni sancti, Mechoacæ, radicis Ialap, & aliorum id genus decoctum præscribit, amphoram instituit, & currente rotâ urceus exit. Sit ergo Hydrargyrus sacra anchora, ad quam Syphilide vexati confugiant. Movet Hydrargyrus Ptyelismum monilibus, cingulis, emplastris, suffitu, & litu: suffitu celerius, tutius litu: quo tamen moveatur modo, cave ne temere camarina moveatur. Hydrargyrus multos sanitati restituit, non paucos è medio sustulit. Si humorum copia ad fauces adpellat, strangulatur æger, non curatur; Si ad cerebrum rapiatur, labitur in altum gravemque somnum, à quo vix excitari potest, & interdum fit rationis inops. Venenum est Hydrargyrus, Alexipharmacum Syphilidis Hydrargyrus, eum facit nocuum aut innocuum peritia aut imperitia Medentis. Cùm in procinctu est Ptyelismus, qui eum acriùs movet ægrum jugulat, non curat. Ab alvi segnitie, lotij suppressione, linguæ & genarum exulceratione, capitis gravitate, prostratâ appetentiâ, oris fœtore, & jactatione corporis insolenti ducat indicationem, cui suffitûs aut litûs animus est repetendi. Non audax, non præceps, non etiam meticulosus sit in suffitibus & inunctionibus iterandis Medicus, audaces ut timidos repellit Apollo. Quibus crassi humores tenuati, tenaces incisi, & qui à lentâ concretione duri erant molles redditi fuerint, dexter erit Mercurius, alioquin infaustus: adeo medicamentorum vim adjuvat adhibita, aut impedit neglecta humorum præparatio.

FELICITER utetur Hydrargyro, & morborum præcavebit iliadem, qui rite præparatum corpus, ὑγρὸν factum, sanguine imminutum, blandâ catharsi sæpiùs repurgatum, Ptyelismo committet; feliciùs qui humores crassos circum ossa collectos ipsisque medullitus inhærentes, & ex pituitæ gypseæ lento mucore oriundos tophos Balneo diluet, non quidem frigido, sed ex aquis dulcibus tepidis, quæ nullâ fuerint qualitate peregrinâ medicatæ. Balneo quidquid putre & fuliginosum intus delitescit, per insensilem halitum digeretur: quidquid autem Phlyctænis, Psydraciis, Meliceridibus, Achoribus, Herpetibus, Serpiginibus, Exanthematis, & Pustulis conspurcat & squalidè polluit, aquæ tepore mitescet, fluorique reddetur aptum: Balneo temperabitur æstus viscerum, bilisque reprimetur fervor. Humores sic præparati Hydrargyro liquanti morem gerent faciliùs, perspirabile corpus efficietur, & Hydrargyrus, qui, priusquam corporis penetralia subeat, in tenues amat redigi partes, laxata cutis spiramina faciliùs permeabit, dissolvet tophos, dolorum acerbitatem leniet, contumaciam domabit, fugabit pervigilium, pro labore quietem reponet, venenatam Syphilidis qualitatem retundet, & humores tandem qui vel ipsius Apollinis luderent operam, ope Mercurij ad os feliciter movebuntur, sputo purgabuntur.

APAGE igitur tot hujus ætatis nebulones & sycophantas, qui decoctis calidis ex multo ligni sancti cortice, sassafras, radice Sinarum, jam æstuantia torrent viscera. Apage lippientes Tonsores, qui tabellis, opiatis, pilulis dum curationem pollicentur, verba dant ægris, aut inferunt necem. Syphilidem quamplurimæ comitantur obstructiones, & partium nutritioni dicatarum intemperies præfervida, quæ ne magis incandescat, ante Ptyelismum & hoc ipso procedente, humectantibus & refrigerantibus postulat emendari. Vt ergo littus arat qui in curandâ Syphilide usum respuit Hydrargyri, sic qui humores crassiores & tenaciores movet Ptyelismo, Hydrargyro non utitur, abutitur; Dextro Mercurio humores movere cupis? redde morigeros Balnei prævio usu. Debent è toto corpore ad os confluxuri humores tenuari priùs, incidi & fluori apti fieri, crassius alioquin fermentum ipsis ossium medullis tenacius inhærens, morbos prioribus longè sæviores reponet. Hinc fucatâ curatione qui se omni labe putant expeditos, innumeris cruciatibus vix ullâ in posterum arte sedandis torquentur immaniùs, felices nimiùm si illud malorum agmen cum morte commutassent: Hinc etiam bilis cujus non fuit inhibitus proventus nec refrænata vis, unà cum Mercurio cerebrum petit, & ad insaniam inexpugnabilem sæpius infestat: Hinc alij exesis intestinorum tunicis, dysenteriâ cruciantur: Hinc alij exiccatâ supra modum vesicâ, vesicæ non imperant. Multi denique in media curatione febre corripiuntur; & æstuantium humorum impetu non fracto rapiuntur ad plures: Sæpè etiam intumescente gutture, linguam maculosam & turgidam exerunt alij, quorum præcordia incensa conflagrant, ob idque pereunt. A tot tantisque vindicabit incommodis viscera prævium Ptyelismo Balneum.

Ergo in curandâ Syphilide Balneum Ptyelismo præmittendum.



DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Petrus Legier.	*M. Iacobus le Menestrel.*	*M. Ioannes Hamon.*
M. Nicolaus Robin.	*M. Carolus Brisset.*	*M. Simon Boulot.*
M. Franciscus Sorand.	*M. Nicolaus Bonvarlet.*	*M. Claudius Tardi.*

Proponebat Lutetiæ CLAVDIVS GVERIN, Parisinus, A. R. S. H. M. DC. LXVIII.